



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 145. Propter quod vocatus est ager ille Haceldama hoc est, ager
Janguinis usque in bodiernum diem. v. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 145. *Propter quod vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis usque in hodiernum diem. v. 8.*

Propter quod, scilicet pretium, vocatus est locus ille Haceldama, hoc est ager sanguinis quia pretium sanguinis fuit ex quo emptus est; nec sine causa, ut sic nunquam deleteretur memoria istius tragœdiæ magnæ, proditoris Iudæ, iniustitiæ & iniquitatum populi & principum Iudæorum, etiam apud peregrinos ex toto terrarum orbe eodem adventantium; sed maneret recens & stabilis tam apud incolas & Iudæos ipsos quam peregrinos & gentiles; ut dum adveniret calamitas & vindicta super se & Civitatem & filios suos, non mirarentur causam, aut investigarent, sed in promptu haberent cui intuerentur agrum illum Aceldama, hoc est sanguinis iusti, quem iniuste damnarunt Patres ipsorum, qui & testaretur & clamitaret vindictam semper donec vel per pœnam plane satisfecerint, vel pœnitentiam. adhuc enim ille sanguis bulliens est & vivens.

Domine iram tuam mereor in dies & vindictam sanguinis tui pretiosi, quem in dies calco quodammodo pedibus, vendito hostibus tuis, per multitudinem & gravium peccatorum meorum, & vix pœnitentiam ago, ideo timeo ne sanguinis tui ultio veniat super me & moriar æternaliter, rogo ergo. *Converte me Deus salutaris meus & averte iram tuam à me, ne sanguinis tui ultionem sentiam, sed meritum in cœlis.*

§. 146. *Tunc impletum est quod dictum est per Hieroniam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiatum, quem apretraverunt à filio Israel, & dederunt eos in agrum figuli, sicut mihi constituit mihi Dominus. v. 9. & 10.*

Afferit hic Evangelista Sacræ scripturæ seu Prophetarum auctoritatem, qui multos ante annos hoc ipsum Iudæis vaticinati sunt potissimum Hieronias & Zacharias, quarum hic partem unam, alteram ille prædixit futurorū, scilicet ut pecuniâ sive triginta argenteis, quos daturi essent pro traditione Christi Messia, empturi essent agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Cur autem Evangelista intermiscet Prophetarum auctoritates? certe non alia ratione, quàm ut ostenderet in Christo completas esse Prophetias ipsorum, & Iudæos non habere modò excusationem amplius sperandi adventum Messia & Salvatoris promissi, qui tam clarè promissiones fecisset impleri. & ipsi viderent Prophetarum dicta adeo quadrare & convenire vitæ Christi, ita ut vel inde elucescat zelus Apostolicus qui conatus est Iudæos ad agnitionem veræ fidei adducere, ut salvi fierent in die Domini. Providentia autem mira Dei factum puto, ut pretium Salvatoris venditi & empti, non

lump-